



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Archiepiscopus Vesuntinus anno 1694.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

132 DE CULTU SACROSANCTI
mo loco aggregari: omnesque & singulos hortati fu-
mus, ut pari beneficio gauderent: & sacro illi CORDI
eum cultum redderent, quem ejus dignitas & excel-
lencia postulant. Datum Constantiis castris, in pala-
tio nostro Episcopali. Die 25. Jan. 1688. CAROLUS
FRANCISCUS Episcopus Constantiensis.

ARCHIEPISCOPUS VESONTINUS
Anno 1694.

Missam propriam pro festo Cordis Jesu Missali
Dioecesis proprio, inserendam decrevit.

*Missæ de SACRATISSIMO CORDE JESU
CHRISTI feria sexta post octavam Corporis Christi.*

Introitus. Gaudeamus omnes in Domino diem
festum celebrantes sub honore sacratissimi Cordis
Jesu, &c.

Petrus Franciscus Hugon Presbyter sacre Theo-
logiæ Doctor, Ecclesiæ Metropolitanæ Bifuntinæ
Canonicus, & Serenissimi Principis Honorati Francisci
de Grimaldi ex Principibus Monæci Archiepiscopi Bi-
funtini, & sacri Romani Imperii Principis, &c. in
temporalibus & spiritualibus Vicarius Generalis, Fi-
dem facimus, & testamur, Missam de SACRATISSIMO
CORDE JESU CHRISTI superscriptam, de verbo ad ver-
bum desumptam fuisse ex Missali Bifuntino, ab Illu-
strissimo & Reverendissimo DD. felicitis memoriæ
Antonio Petro de Grammont Archiepiscopo Bifun-
tino, anno 1694. edito. Præterea testamur, prædi-
ctam Missam juxta ritum Bifuntinum, cultumque
er-

erga sacratissimum Cor Jesu Christi, in hac Diœcesi cum maxima religione ad animarum spirituale incrementum proficere, præcipue in feriâ sexta post octavam Corporis Christi specialiter ipsi assignata; cuique festo in nonnullis locis Indulgentiæ plenariæ a Summis Pontificibus concessæ sunt, societatesque & Confraternitates erectæ. Quibus auxiliis Christi Fideles ad hoc tandem deducantur, ut jam in semet ipsis sentire possint, quod & in Christo Jesu. In quorum fidem præsentem dedimus manu nostra scriptas, & subsignatas, sigilloque Officii nostri munitas. Bisuntii 14. Aprilis. Anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto.

P. F. HUGON Vicarius generalis.

ARCHIEPISCOP. LUGDUNENSIS

Galliæ Primas. anno 1718.

Franciscus Paulus de Villeroy de Newville Archiepiscopus Lugdunensis, &c.

Post exordium luculentum de divitiis inæstimabilibus quæ in persona Christi latent; & de obligatione Pastorum deducendi Fideles in cognitionem tam salutarem, descendit ad sanctitatem Cordis Jesu. Tum sic prosequitur... Adjumento vobis erit SACROSANCTI ILLIUS CORDIS FESTUM, quale jam celebratur in pluribus Diœcesibus, & Indulgentiis Summorum Pontificum decoratur. Finem ego, modum, spiritum hujus festi examinavi diligentissime, quæ omnia veræ

Rr 3 pie-